



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Ars Bonæ Mortis. Sive: Quotidiana Erga Sanctissimam Dei Matrem Mariam Pietas**

Ad omnia quidem utilis. Ad felicem tamen mortem obtinendam utilissima

**Hevenesi, Gábor**

**Coloniæ Agrippinæ, 1709**

XII. Augusti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50916](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50916)

S. Clara in templo B. V. de Portiuncula votum virginittatis edidit, constanti in B. V. pietate ejus amores promerita; huic enim Virginum stipata choro morienti adfuit, eamq; suaviter complexa pretiofo pallio contexit, secumq; ad Sponsi cœlestis amplexus deduxit. *In vita.* Cui placet hac sequi, hoc nunc iter auspicietur.

S. Clara, quæ hostes SS. Sacramento fugasti, defende me quoque ab omnibus visibilibus & invisibilibus inimicis, ora pro me Deiparam, ut & ego indignus peccator in agone promptitudinem ejus auxilii, dulcedinem maternæ illius pietatis, & misericordiæ affluentiam experiri merear. O Sanctissima DEI, & mea, Mater pretiosissima! ego N. indignissimus filius tuus ex toto corde, omnibusque tam corporis, quàm animæ viribus centies millies, &c. f. 190.

Ad quod impetrandum B. V. elogiorum catalogum ordine alphabetico hodie concinabo.

Virga orta de radice Jesse ramorum suorum mirabili extensione se se ubique terrarum expandit, ut dispersos filios Adæ ab æstu & turbine, umbrâ desiderabili protegeret, fructuque saluberrimo aleret esurientes. S. *Amad. ho. 8.*

Quæstio: An pulchritudo B. V. naturalis, an miraculosa fuerit? v. *Raynau. in dipt. Mar.*